

a *quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. a*
Et divisa est mulier innupta & virgo: quæ
innupta est, sollicita est quæ sunt Domini,
ut sit sancta & corpore & spiritu: quæ au-
tem nupta est, sollicita est quæ sunt mun-
di, quomodo placeat viro. Non utique ait,
 cogitat ea quæ securitatis sunt in hoc sæculo,
 ut sine gravioribus molestiis tempus transigat:
 neque ad hoc divisam dicit innuptam & vir-
 ginem ab ea quæ nupta est, id est, distinctam
 atque discretam, ut innupta in hac vita secu-
 ra sit propter temporales molestias evitandas,
 quibus nupta non caret: sed, *Cogitat*, in-
 quit, *quæ sunt Domini*, b *quomodo placeat*
Domino, & sollicita est quæ sunt Domini,
ut sit sancta & corpore & spiritu. Nisi for-
 tē usque adeo quisque insipienter contentiosus
 est, ut conetur asserere, non propter regnum
 cælorum, sed propter præsens sæculum Do-
 mino placere nos velle, aut propter vitam is-
 tam, non propter æternam esse sanctas &
 corpore & spiritu. Hoc credere quid est aliud,
 nisi miserabiliorem esse omnibus hominibus?
 Sic enim Apostolus ait: *Si in hac vita tan-*
tum in Christo sperantes sumus, miserabi-
liores sumus omnibus hominibus. An verò qui
 frangit panem suum esurienti, si tantum propter
 hanc vitam facit, stultus est; & ille erit
 prudens, qui castigat corpus suum usque ad
 continentiam, qua nec conjugio misceatur, si
 ei

I. Cor. 15.
19.

a Er. Et divisa est mulier nupta, & virgo quæ innupta
 est: sollicita est quæ sunt Domini. Multo mendosius editio
 Lov. post placeat uxori, prosequitur sic, & divisus est.
 Mulier etiam innupta sollicita est quæ sunt Domini. Redin-
 tegratur locus ope vetustissimorum codicum, hic & supra
 in lib. de Bono Conjugali cap. 10.

b In MSS. omittitur, quomodo placeat Domino, & solli-
 cita est quæ sunt Domini.

ei nihil proderit in regno cælorum?

23. POSTREMO ipsum Dominum au-
 diamus evidentissimam hinc sententiam profe-
 rentem. Nam cum de conjugibus non sepa-
 randis nisi causa fornicationis divinè ac terri-
 biliter loqueretur, dixerunt ei discipuli: *Si*
talis est causa cum uxore, non expedit nu-
bere. Quibus ille: *Non omnes, inquit, ca-*
piunt verbum hoc: sunt enim spadones qui
ita nati sunt; sunt autem alii qui ab ho-
minibus facti sunt; & sunt spadones qui se
ipsos castraverunt propter regnum cælorum:
qui potest capere, capiat. Quid veracius,
 quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Ve-
 ritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos
 qui pio proposito ab uxore ducenda se conti-
 nuerint, castrare se ipsos propter regnum cæ-
 lorum; & contra humana vanitas impia teme-
 ritate contendit, eos qui hoc faciunt, præsen-
 tem tantummodo necessitatem molestiarum
 conjugialium devitare, in regno autem cælo-
 rum amplius quidquam ceteris non habere?

24. DE quibus autem spadonibus loqui-
 tur Deus per Isaiam Prophetam, quibus se di-
 cit daturum in domo sua & in muro suo lo-
 cum nominatum, meliorem multo quàm fi-
 liorum atque filiarum, nisi de his qui se ipsos
 castrant propter regnum cælorum? Nam illis
 quibus ipsum virile membrum debilitatur, ut
 generare non possint, sicut sunt eunuchi di-
 vitum & regum, sufficit utique cum christia-
 ni fiunt, & Dei præcepta custodiunt, eo ta-
 men proposito sunt, ut conjuges si potuissent
 haberent, ceteris in domo Dei conjugatis fi-
 delibus adæquari, qui prolem licite pudicè-
 que susceptam in Dei timore nutriunt, do-
 centes filios suos ut ponant in Deo spem suam;

non

CAPUT

XXIII.

Idipsum
 probatur ex
 verbis Do-
 miini.
 Matth. 19.
 10. &c.

CAPUT

XXIV.

Item ex
 verbis Isa-
 iæ.

non autem accipere meliorem locum quàm est filiorum atque filiarum. Neque enim uxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Contendat sanè qui voluerit de his Prophetam spadonibus hoc prænuñtiasse, qui corpore abscisi sunt: iste quoque error causæ quam suscepimus suffragatur. Neque enim spadones istos eis qui in domo ejus nullum habent locum prætulit Deus; sed eis utique qui in filiis generandis conjugalis vitæ meritum servant. Nam cum dicit: *Dabo eis locum multo meliorem*; ostendit & conjugatis dari, sed multo inferiorem. Ut ergo concedamus in domo Dei prædictos futuros eunuchos secundum carnem, qui in populo Israël non fuerunt, quia & ipsos videmus cum judæi non fiant, tamen fieri christianos; nec de illis dixisse Prophetam, qui proposito continentia conjugia non quærentes, se ipsos castrant propter regnum cælorum: itane tanta dementia quisquam est contrarius veritati, ut in carne factos eunuchos meliorem quàm^a conjugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus usque ad contemptas nuptias castigantes, se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cælestem & angelicam vitam in terrena mortalitate meditates, conjugatorum meritis pares esse contendat; & Christo laudanti eos qui se ipsos castraverunt, non propter hoc sæculum, sed propter regnum cælorum, christianus contradicat, affirmans hoc vitæ præsentis esse utile, non futuræ? Quid aliud istis restat, nisi ut ipsum regnum cælorum ad hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus,

Matth. 19.
12.

^a In MSS. quam conjugati.

asserant pertinere? Cur enim non & in hanc insaniam progrediatur cæca præsumtio? Et quid hac assertione furiosius? Nam etsi regnum cælorum aliquando Ecclesia etiam quæ hoc tempore est, appellatur; ad hoc utique sic appellatur, quia futuræ vitæ sempiternæque colligitur. Quamvis ergo promissionem habeat vitæ præsentis & futuræ; in omnibus tamen bonis operibus suis non respicit quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.

25. NEC sanè Spiritus sanctus tacuit quod contra istos impudentissimè ac dementissimè pervicaces apertum atque inconcussum valeret, eorumque belluinum impetum ab ovili suo inexpugnabili munitione repelleret. Cum enim dixisset de spadonibus: *Dabo eis in domo mea & in muro meo locum nominatum, meliorem multo quàm filiorum atque filiarum*; ne quis nimium carnalis existimaret aliquid in his verbis temporale sperandum, continuo subjecit: *Nomen æternum dabo eis, nec umquam deerit*. Tamquam diceret: Quid tergiversaris, impia cæcitas? Quid tergiversaris? Quid serenitati veritatis nebulas tuæ perversitatis offundis? Quid in tanta Scripturarum luce tenebras unde insidieris inquiris? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis? *Nomen æternum dabo eis*. Quid ab omni concubitu immunes, & eo quoque ipso quo hinc se se abstinere, ea quæ sunt Domini cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? *Nomen æternum dabo eis*. Quid regnum cælorum, propter quod se ipsos castraverunt sancti spadones, in hac tantum

Ecclesia
Regnum
cælorum
cur appellata.

1. Tim. 4. 8.

2. Cor. 4.
18.

CAPUT
XXV.
Isaiam lo-
quide æter-
no præmio
spadonibus
promisso.
Isai. 56. 5.

tum vita intelligendum esse contendis? *Nomen æternum dabo eis.* Et si fortè hîc ipsum æternum pro diurno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, *Nec unquam deerit.* Quid quæris amplius? Quid dicis amplius? Æternum hoc nomen, quidquid illud est, spationibus Dei, quod utique gloriam quamdam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quàmvis in eodem regno & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum est, quod eos quibus datur, distinguit à ceteris.

CAPUT
XXVI.

Objectio
de denario
omnibus
reddendo,
contra di-
versitatem
præmio-
rum.

Matth. 20.

9.

1. Cor. 15.

53.

Ibidem 41.

1. Cor. 12.

18.

26. QUID sibi ergo vult, inquirunt, ille denarius, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur, sive iis qui ex prima hora, sive iis qui una hora operati sunt? Quid utique, nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit? *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem:* hic est ille denarius, merces omnium. *Stella tamen ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum:* hæc sunt merita diversa sanctorum. Si enim cælum significaretur illo denario, nonne in cælo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen *alia est gloria solis, alia gloria lune, alia stellarum.* Si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cum rectè valemus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si usque ad mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? Et tamen *posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit;* ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odo-

odoratus; & quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quàmvis æqualiter habeat cum omnibus sanitate. Ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus adtributus est: quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivit alius alio prolixius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs.

Joan. 14. 2

27. PERGITE itaque sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminae, cælibes & ^a in-nuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs: sperate feliciùs, cui servitis instantiùs: amate ardentius, cui placetis adtentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferetis ad nuptias agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris. ^b Non utique tale quale cantat universa terra, cui dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino universa terra;* sed tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus ab agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat, & bibebat & eructuabat mirabilia super cælestia Verbum Dei. Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorum citharædorum illibatæ virginitatis in corpore, in-violatæ veritatis in corde: & quia sequimini agnum quocumque ierit, scripsit ille de vobis. Quò ire putamus hunc agnum, quò ne-

CAPUT
XXVII.

Virginitas
gloria futu-
ra major,
& propria
quædam in
cælis gaudia.

Luc. 12. 35.

a

b

Psal. 95. 1.

Apoc. 14. 3.

Sequi ag-
num quo-
cumque ie-
rit pro-
prium est
virginum.

^a Sola editio Lov. & nuptæ.

^b Duo Vaticani MSS. addunt, *hoc est, in cordibus dicatis laudibus.* Vaticanus alius, *hoc est, in cordibus vestris.*

mo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos? Quò putamus eum ire? In quos saltus & praeta? Ubi credo sunt ^a gramina gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniam mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus erunt, sed à ceterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Ite in hæc, sequimini agnum, quia & agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus & natus. Meritò eum sequimini virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, sicut ait Apostolus Petrus, ut sequamur vestigia ejus. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur: non in quantum ille Filius Dei est unus, per quem facta sunt omnia; sed in quantum filius hominis, quæ oportebat, in se præbuit imitanda: & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis non omnibus; non enim habent quid faciant ut virgines sint, in quibus jam factum est ut virgines non sint.

CAPUT
XXVIII.
Quò usque
sequi agnum omnes
possunt.
Matt. 5. 3.

28. SEQUANTUR itaque agnum ceteri fideles qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quò usque ipsi potuerint. Possunt autem ubique, præter cùm in decore virginitatis incedit. *Beati pau-*
pe-

^a Editio Lov. loco *gramina*, habet *grandia*: refragantibus MSS. & editione Er.

peres spiritu; imitami eum, qui propter vos pauper factus est, cùm dives esset. *Beati mites*; imitami eum qui dixit: *Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde.* *Beati lugentes*; imitami eum qui fleuit super Jerusalem. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*; imitami eum qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* *Beati misericordes*; imitami eum qui vulnerato à latronibus & in via jacenti semivivo desperatoque subvenit. *Beati mundicordes*; imitami eum qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* *Beati pacifici*; imitami eum qui pro suis persecutoribus dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*; imitami eum qui *pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hæc qui imitantur, in his agnum sequuntur. Sed certè etiam conjugati possunt ire per ista vestigia, etsi non perfectè in eadem forma ponentes pedem, verumtamen in eisdem semitis gradientes.

29. SED ecce ille agnus graditur itinere virginali, quomodo post eum ibunt qui hoc amiserunt, quod nullo modo recipiunt? Vos ergo, vos ite post eum, virgines ejus; vos & illuc ite post eum, quia propter hoc a unum quocumque ierit sequimini eum: ad quodlibet enim aliud sanctitatis donum quo eum sequantur, hortari possumus conjugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque sequimini eum tenendo perseveranter, quod vos

TOM. VI.

DD

vis-

2. Cor. 8. 9.
Matt. 5. 4.
Matt. 11.
29.
Matt. 5. 5.
Lucæ 19.
41.
Matt. 5. 6.
Joan 4. 34.
Matt. 5. 7.
Lucæ 10.
33.
Matt. 5. 8.
1. Petr. 2.
22.
Matt. 5. 9.
Lucæ 23.
34.
Matt. 5.
10.
1. Petr. 2.
21.

CAPUT
XXIX.
Quò eum
sequuntur
solæ virgi-
nes.

^a Editi, *bonum unum*. Abest *bonum* à MSS.

vistis ardentem. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. Videbit vos cetera multitudo fidelium, quae agnum ad hoc sequi non potest: videbit, nec invidet; & collatando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam & illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit; audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicetis & audietis, quia & hoc quod dicetis a vobis audietis, felicius exultabit, jucundiusque regnabit. De majore tamen vestro gaudio nullus moror erit, quibus hoc deerit. Agnus ille quippe, quem vos quocumque ierit sequimini, nec eos deseret qui eum quod vos non valent sequi. Omnipotentem agnum loquimur. Et vobis praebit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. Et qui minus habebunt, a vobis non abhorrebunt. Ubi enim nulla est invidentia, concors est differentia. Praesumite itaque, fidite, roboramini, permanete qui vovetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuae continentiae, non propter praesens saeculum, sed propter regnum caelorum.

Invidentia
in caelis
propter
praemiorum
differentiam
nulla.

I. Cor. 15.
28.

Psal. 75.
12.

CAP. XXX.

Hortatur
ad virginitatem
ut ad
opus super
erogationis,
non
praecipit.

Matth. 19.
12.

I. Cor. 9.
24.

Ps. 95.
8.

Exod. 20.
13.

Exod. 20.
13.

30. VOS etiam qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere, capite; perseveranter currite, ut comprehendatis: Tollite hostias quisque suas, & introite in atria Domini, non ex necessitate, potestatem habentes vestrae voluntatis. Neque enim sicut, *Non mœchaveris, Non occides*; ita dici potest. Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaveritis, in

in redeundo reddet vobis. Cogitate, quidquid illud est, in muro ejus locum nominatum meliorem multo quam filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen aeternum. Quis explicat quale nomen erit? Quidquid tamen erit, aeternum erit. Hoc credendo & sperando & amando, potuistis conjugia non devitare prohibita, sed transvolare concessa.

31. UNDE hujus muneris magnitudo, ad quod capessendum pro nostris viribus hortati sumus, quanto est excellentius atque divinius, tanto magis admonet sollicitudinem nostram, non solum de gloriosissima castitate, verum etiam de tutissima humilitate aliquid loqui. Cum ergo perpetuae continentiae professores se conjugatis comparantes, secundum Scripturas compererint eos infra esse, & opere & mercede, & voto & praemio; statim veniat in mentem quod scriptum est: *Quanto magis es, tanto humiliam te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*. Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est: cui est periculosa superbia, quae amplius amplioribus insidiatur. Hanc sequitur invidentia, tamquam filia pedissequa: eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. Quibus duobus malis, hoc est, a superbia & invidentia, diabolus est. Itaque contra superbiam matrem invidentiae maxime militat universa disciplina christiana. Haec enim docet humilitatem, qua & adquirat & custodiat caritatem: de qua cum dictum esset: *Caritas non emulatur*; velut si causam quaereremus, unde fiat ut non emu-

Lucæ 10.
35.

Isai. 56.5.

CAPUT
XXXI.
Humilitas
maximè
Virginibus
commen-
danda.

Eccli. 3.20.

Humilitatis
mensura
cuique
data.

Superbia
mater in-
videntiae.
a

I. Cor. 13.
4.

DD 2

le-

a SIS MSS. At Er. superbia & invidentia diabolus praest. Lov. superbia & invidentia diabolus praest.

Phil. 2. 7.
& 8.

letur, continuò subdidit: *Non inflatur*; tamquam diceret, ideo non habet invidentiam, quia nec superbiam. Doctor itaque humilitatis Christus primò *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ipsa verò doctrina ejus, quàm adentè insinuet humilitatem atque huic præcipiendæ vehementer insistat, quis explicare facillè possit, atque in hanc rem demonstrandam testimonia cuncta congerere? Hoc facere conetur vel faciat, quisquis seorsum de humilitate voluerit scribere: hujus autem operis aliud propositum est, quod de tam magna re susceptum est, ut ei maximè sit cavenda superbia.

CAPUT
XXXII.
De humilitate præcepta Domini & exempla.
Matt. 5. 3.

32. PROINDE pauca testimonia, quæ Dominus in mentem dare dignatur, ex doctrina Christi de humilitate commemorato, quæ ad id quòd intendi fortasse sufficiant. Sermo ejus, quem primum prolixiorum ad discipulos habuit, inde cœpit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum;* quos sine ulla controversia humiles intelligimus. Fidem Centurionis illius ideo præcipuè laudavit, nec se invenisse in Israël dixit tantam fidem, quia ille tam humiliter credidit, ut diceret: *Non sum dignus ut sub tectum meum intres.* Unde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Jesum, cum apertissimè Lucas insinuet quòd non ad eum ipse venerit, sed amicos suos miserit, nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quàm illi quos misit. Unde & illud propheticum est: *Excelsus est Dominus, & humilia respicit, excelsa autem à longè cognoscit;* utique tamquam

Matt. 8. 8.

Luc. 7. 6.
& 7.

Ps. 137. 6.

quam non accedentia. Hinc & illi mulieri Cananæ dicit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis;* quam superius canem appellaverat, nec ei panem filiorum projiciendum esse responderat. Quod illa humiliter accipiens dixerat: *Ita, Domine, nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ac sic quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. Hinc & illi duo proponuntur orantes in templo, unus Pharisæus, & alter publicanus, propter eos qui sibi justi videntur, & spernunt ceteros, & enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. Et utique Deo gratias agebat Pharisæus ex his in quibus sibi multum placebat. *Gratias, inquit, tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut & publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæcumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, nec oculos ad cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suam, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Sequitur autem divina sententia: *Amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus magis quàm ille Pharisæus.* Deinde causa ostenditur, cur hoc iustum sit: *Quoniam is qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Fieri ergo potest, ut quisque & mala vera devitet, & vera bona in se consideret, & de his Patri luminum gratias agat, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum; & tamen elationis vitio reprobetur, si aliis peccatoribus maximè que peccata in oratione contentibus, vel sola cogitatione quæ coram Deo est, superbus in-

Matth. 15.
28.

Lucæ 18.
10.

Ibidem 11.
6c.

Jac. 1. 17.

sultet, quibus non exprobratio cum inflatio-
ne, sed miseratio sine desperatione debetur.
Quid illud quod quærentibus inter se discipu-
lis quisnam eorum major esset, puerum par-
vulum constituit ante oculos eorum, dicens:

Matth. 18. *Nisi fueritis sicut puer iste, non intrabitis*
3. *in regnum cælorum?* Nonne humilitatem ma-
ximè commendavit, & in ea meritum magni-
tudinis posuit? Vel cum filiis Zebedæi late-

Matth. 20.
21. ita respondit, ut passionis ejus calicem biben-
dum potiùs cogitarent, in quo se humiliavit

Phil. 2. 8. usque ad mortem, mortem autem crucis, quàm
superbo appetitu præferri ceteris postularent;
quid ostendit, nisi eis se futurum altitudinis
largitorem, qui eum doctorem humilitatis an-
tea sequerentur? Jam verò quòd exiturus ad

Joan. 13.
14. passionem lavit pedes discipulis, monuitque
apertissimè ut hoc facerent condiscipulis at-
que conservis, quod eis fecisset Magister &
Dominus, quantum commendavit humilita-
tem? Cui commendandæ etiam tempus illud
elegit, quo eum proximè moriturum cum
magno desiderio contuebantur, hoc utique
præcipuè memoria retenturi, quod Magister
imitandus ultimum demonstrasset. At ille hoc
fecit illo tempore, quod utique potuit & aliis
antè diebus, quibus cum eis fuerat conversa-
tus: quando si fieret, hoc ipsum quidem tra-
deretur, sed utique non sic acciperetur.

33. CUM ergo christianis omnibus custo-
dienda sit humilitas, quandoquidem à Chris-
to christiani appellantur, cujus Evangelium
nemo diligenter intuetur, qui non eum doc-
torem humilitatis inveniatur; tum maximè vir-
tutis hujus sectatores & conservatores eos esse
convenit, qui magno aliquo bono ceteris emi-
nent,

CAPUT
XXXIII.
Humilitas
christianis
sed maxi-
mè Virgi-
nibus cus-
todienda.

nent, ut magnopere curent illud quod primi-
tus posui: *Quanto magnus es, tanto humi-
lia te in omnibus, & coram Deo invenies
gratiam.* Proinde quia perpetua continentia,
maximèque virginitas, magnum bonum est in
sanctis Dei, vigilantissimè cavendum est ne
superbia corrumpatur.

34. Curiosas & verbosas malàs innuptas
Paulus Apostolus notat, & hoc vitium veni-
re dicit ex otio. *Simul autem, inquit, & otio-
sæ^a discunt circumire domos; non solum
autem otiosæ, verùm etiam curiosæ & ver-
bosæ; loquentes quæ non oportet.* De his su-
perius dixerat: *Juniores autem viduas evita.*
*Cum enim in deliciis egerint, in Christo
nubere volunt; habentes damnationem, quo-
niam primam fidem irritam fecerunt;* id est,
in eo quod primò voverant, non steterunt.
* NEC tamen ait, nubunt; sed, *nubere vo-
lunt.* Multas enim earum revocat à nubendo,
non amor præclari propositi, sed aperti de-
decoris timor, veniens & ipse de superbia,
qua formidatur magis hominibus displicere,
quàm Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, &
ideo non nubunt quia impunè non possunt,
quæ melius nubent quàm urerentur, id est,
quàm occulta flamma concupiscentiæ in ipsa^b
conscientia vastarentur, quas poenitet profes-
sionis, & piget confessionis, nisi correctum
cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem
vincant, in mortuis deputandæ sunt, sive in
deliciis agant, unde dicit Apostolus: *Quæ
autem in deliciis agit, vivens mortua est;*
sive in laboribus atque jejuniis, nulla cordis

Innuptas
vives
contra pro-
positum
non spec-
tat præsens
adhortatio
ad humili-
tatem.

1. Tim. 5.
13. &c.
a

* CAPUT
XXXIV.

1. Tim. 5.6.

DD 4

COT-

^a MSS. curiosæ esse discunt; circumire domos.

^b sic plures MSS. At editi, in ipsa concupiscentia.

a correctione superfluis, & magis ostentationi quam emendationi servientibus. Non ego talibus magnam curam humilitatis ingero, in quibus superbia ipsa confunditur, & conscientiae vulnere cruentatur. Nec ebriosis, aut avaris, aut alio quolibet damnabilis morbi genere jacentibus, cum habeant corporalis continentiae professionem, moribusque perversis à suo nomine dissonent, hanc magnam sollicitudinem piæ humilitatis impono: nisi fortè in his malis etiam ostentare se audebunt, quibus non sufficit quòd eorum supplicia differuntur. Nec de his ago, in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiore vestitu quam tantæ professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive prætumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris, ut retiola subter posita appareant: his nondum de humilitate, sed de ipsa castitate vel integritate pudicitiae danda præcepta sunt. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his & hujusmodi omnibus carentem vitiis & maculis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quo magis inest unde sibi placeat, eo magis vereor, ne sibi placendo illi displiceat qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

35. CERTE præcipuum magisterium & virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergo amplius continentibus de humilitate præcipiam, quam quod ille qui omnibus dicit: *Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde?* Cum magnitudinem suam suprâ commemorasset: b

a Aliquod MSS. omittunt, *quam emendationi.*

b Nonnulli MSS. *commemorasset, idipsum volens ostendere: omissâ particula et.*

& idipsum volens ostendere, quantus propter nos quantillus effectus est: *Confiteor*, inquit, ^{Ibidem 25.} *tibi, a Pater, Domine cæli & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum est coram te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo cognoscit Filium nisi Pater, & nemo cognoscit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde.* Ille, ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit revelare, non dicit: *Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed, quia mitis sum & humilis corde.* O doctrinam salutarem, o Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est! Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tamquam in concione generis humani clamantem ac dicentem: *Venite ad me, & discite à me.* Quid, obsecro te, per quem facta sunt omnia, Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia, Fili hominis, quid ut discamus à te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est

a In MSS. deest vox, *Pater;* & paulò post omittitur, & *prudentibus.*

est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

CAPUT
XXXVI.
Humilitatis doctrina facile audita à peccatoribus.

Matth. II.
Luca 18.

Matth. 8.
Luca 19.

Luca 7.

Matth. 21.
31.

Matth. 9.
13.

Rom. 5. 20.

Virginibus multo magis audienda.

a

36. AUDIANT te, & veniant ad te, & mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam & veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi, non sibi. Audiatur hoc laborans & oneratus, qui sarcina premitur, ut oculos ad cælum levare non audeat, percussus pectus ille peccator & propinquans de longinquo. Audiatur Centurio, non dignus cuius tectum subires. Audiatur Zacchæus major publicanorum, quadrupla restituens lucra damnabilium peccatorum. Audiatur mulier in civitate peccatrix, tanto lacrymosior pedibus tuis, quanto fuerat alienior à vestigiis tuis. Audiatur meretrices & publicani, qui scribas & pharisæos præcedunt in regnum cælorum. Audiatur omne genus ægrorum, cum quibus tibi pro crimine sunt objecta convivia, videlicet quasi à sanis qui medicum non quærebant, cum tu non venires vocare justos, sed peccatores in poenitentiam. Hi omnes cum convertuntur ad te, facile mitescunt & humiliantur coram te, memores iniquissimæ vitæ suæ, & indulgentissimæ misericordiæ tuæ, quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.*

37. Sed respice agmina virginum, puero- rum puellarumque sanctarum: in Ecclesia tua eruditum est hoc genus; illic tibi à maternis uberibus pullulavit, a in nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut lac infantie suæ suxit infusum. Non potest quis-

a Sola editio Lov. omittit particulam, in.

quisquam ex hoc numero dicere: *Qui prius I.Tim. 1.13*
fui blasphemus & persecutor & injuriosus,
sed misericordiam consecutus sum, quia ig-
norans feci in incredulitate; imò etiam quod
non jussisti, sed tantummodo volentibus arri-
piendum proposuisti, dicens: Qui potest ca-
pere, capiat; arripuerunt, voverunt, &
propter regnum cælorum se ipsos, non quia
minatus es, sed quia hortatus es, castraverunt.
* HIS inclama, hi te audiant, quoniam mitis
es & humilis corde. Hi quanto magni sunt,
tanto humilient se in omnibus, ut coram te
inveniant gratiam. Justi sunt: sed numquid si-
cut tu a justificans impium? Casti sunt: sed
eos in peccatis matres eorum in uteris alue-
runt. Sancti sunt: sed tu etiam sanctus sanc-
torum. Virgines sunt: sed nati etiam ex vir-
ginibus non sunt. Et spiritu & carne integri
sunt: sed Verbum caro factum non sunt. Et
tamen discant, non ab eis quibus peccata di-
mittis, sed à te ipso agno Dei, qui tollis pec-
cata mundi, quoniam mitis es & humilis corde.

38. Non ego te, anima piè pudica, quæ
appetitum carnalem nec usque ad concessum
conjugium relaxasti, quæ decessurum corpus
nec successorum propagando indulgisti, quæ flui-
tantia membra terrena in cæli consuetudinem
suspendisti: non ego te, ut discas humilita-
tem, ad publicanos & peccatores mitto, qui
tamen in regnum cælorum præcedunt super-
bos; non te ad hos mitto: indigni sunt enim
qui ab immunditiæ voragine liberati sunt, ut
ad eos imitandos mittatur illibata virginitas: ad
Regem cæli te mitto, ad eum per quem crea-
ti sunt homines, & qui creatus est inter ho-
mi-

a Er. & nonnulli MSS. justificant impium.

Matth. 19.
12.

* CAPUT
XXXVII.

a

Psal. 50. 7.

Humilitatis exem-
plum in ip-
so Domino
propositum
Virginibus.

Psal. 4. 43. mines propter homines, ad speciosum formæ præ filiis hominum, & contemptum à filiis hominum pro filiis hominum, ad eum qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est servire mortalibus. Eum certè humilem non iniquitas, sed caritas fecit; *Caritas quæ non æmulatur, non inflatur, non querit quæ sua sunt: quia & Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum de illo est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Vade, veni ad illum, & discite quoniam mitis est & humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cælum levare non audebat onere iniquitatis; sed ad eum qui de cælo descendit pondere caritatis. Non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lacrymis rigavit, quærens indulgentiam gravium peccatorum; sed ibis ad eum qui cum daret indulgentiam omnium peccatorum, lavit pedes suorum servorum. Novi dignitatem virginittatis tuæ: non tibi propono imitandum publicanum humiliter accusantem delicta sua, sed timeo tibi pharisæum superbè jactantem merita sua. Non dico: Esto qualis illa de qua dictum est: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed metuo ne cum tibi modicum dimitti putas, modicum diligas.

39. METUO, inquam, tibi vehementer, ne cum te agnum quocumque ierit secuturam esse gloriaris, eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. Bonum est tibi, o anima virginalis, ut sic quomodo virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tamen à timore Domini & parturias spiritum salutis. *Timor quidem non est in caritate, sed perfecta, sicut scriptum est, caritas foras*

1. Cor. 13. 4.
Rom 15. 3.
Ps. 68. 10.

Lucæ 18. 13.
Joan. 6. 38.
Luc. 7. 38.

Joan. 13. 5.

Lucæ 18.

Luc. 7. 47.

CAPUT XXXVIII.
Timor ipsi
Virginibus
necessarius,
non timor
sæcularis
aut servilis,
sed timor
Dei castus.
Isai. 26. 18.

1. Joan. 4. 18.

ras mittit timorem; sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine iudicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time severitatem: utrumque te superbam esse non sinit. Amando enim times; ne amatum & amantem graviter offendas. Nam quæ gravior offensio, quam ut superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit? Et ubi magis esse debet timor ille castus permanens in sæculum sæculi, quàm in te, quæ non cogitas quæ sunt mundi, quomodo placeas conjugii, sed quæ sunt Domini, quomodo placeas Domino? Ille alius timor non est in caritate: iste autem castus non recedit à caritate. Si non amas, time ne percas: si amas, time ne displiceas. Illum timorem caritas foras mittit: cum isto intrò currit. Dicit Apostolus etiam Paulus: *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in a timorem, sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Illum eum timorem credo dicere, qui datus erat in veteri Testamento, ne amitterentur temporalia bona, quæ Deus promiserat nondum sub gratia filiis, sed sub lege adhuc servis. Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ caritatis. Aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii. Aliæ voces sunt: *Quò abibo ab spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?* et aliæ voces sunt: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ,*

Rom. 11. 20.
** f. superba.*
Ps. 18. 10.
1. Cor. 7. 32.
Rom. 8. 15.
Ps. 138. 7.
Ps. 26. 4.

^a Editi, in timore. Veteres autem libri, in timorem: juxta Græcum *eis oib:*: cui concordat Vulgata in antiquis Bibliis Corbeiensibus.